



# Dissertatio medica inauguralis de ictero calculoso

<https://hdl.handle.net/1874/325718>

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

**ICTERO CALCULOSO.**

ELABORATION OF THE PAPERS  
OF JAMES CALLOW

DISSERTATIO MEDICA INAUGURALIS,

DE

# ICTERO CALCULOSO,

QUAM,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI

BERNARDI FRANCISCI SUERMAN,

MED. DOCT. ET PROF. ORD.

NEG NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS MEDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE AC LEGITIME CONSEQUENDIS,

ERUDITORUM EXAMINI SUBMITTIT

GUILIELMUS HENRICUS KAPTEIJN,

e pago Bodengraven.

DIE XXI M. DECEMBRIS, A. MDCCXLVII, HORA V.

TRAJECTI AD RHENUM,

APUD C. VAN DER POST, JUNIOREM.

MDCCXLVII.

TYPIS H. J. GIBBEN.

PATRI

OPTIMO, CARISSIMO,

COGNATIS

DILECTISSIMIS, CONJUNCTISSIMIS

PRAECEPTORIBUS,

QUICUMQUE MIHI FUERUNT, AESTUMATISSIMIS.



andertibus alioq' et aliis aliis, ut illis  
autem iuris alioq' alioq' aliis, illis autem illis  
et illis iuris iuris, iuris iuris, iuris iuris  
alioq' et aliis aliis, aliis aliis, aliis aliis  
et aliis aliis aliis aliis aliis aliis aliis  
**INTRODUCTIO.**

Icterus est morbus jam cognitus antiquioribus, ab iisque descriptus. Nullus forsitan morbus reperiri potest, de quo tot et tam variae opinione, non tantum quoad causas et divisiones, sed etiam quoad denominationes, exstant.

Vocabulum ab aliis derivatur a voce graeca  
*ixtus*, — qua intelligitur *viverra*, cuius oculorum color convenit cum colore eorum, qui  
Ictero laborant. Alii ortum esse putant ex  
graeca voce *ixteqos*, qua significabatur avis  
flava, quae si spectaretur ab iis, qui morbo  
nostro laborarent, morbum tolli, avem vero  
mori, veteres nonnulli crediderunt.

*Morbus regius* vocabatur, quia arbitrabantur nonnulli, eum facile in aulis curari posse hilaritate et remissione animi; secundum alios potus dulcis, et, ut ita dicam, regii causa, quo ille morbus demeretur; aut, si alios credamus, propter similitudinem coloris ictericorum cum auri, regis, ut habebatnr, metallorum colore. CELSUS morbum AURIGINEM dixit, coloris flavi causa.

Ii, qui in hoc morbo effusionem bilis vident, suffusionem fellis eum dicunt. Qui autem ictericorum colorem cum colore Iridis comparant, morbum arcuatum eum appellant. Restant nomina a Sauvagesio huic morbo data; *Melasicterus* et *Melanchlorus*.

Icterus ergo et morbus est frequens, et magni momenti, ac talis vulgo habetur; hoc enim ex multis descriptionibus, ab antiquioribus medicis datis, patet, in quibus multum inter se differebant.

MORGAGNI v. g. putat, elementa bilis in sanguine ita augeri posse, ut non sequatur secretio bilis satis magna, aut propter conditionem vitirosam sanguinis, aut propter vitium organi

secernentis, aut propter excretionem impeditam per ductus biliferos.

RICHTER, bilem in sanguine ictericorum repertam quidem in hepate secretam, sed inde resorptam et tali modo in sanguinem redire arbitratur; statuitque irritationem systematis biliferi morbi esse causam, qua circulatio in eo turbatur.

VAN SWIETEN icterum oriri opinatur, si bilis non viam solitam sequitur, verum in sanguinem reddit.

ANDRAL causam icteri esse turbatam nervorum actionem statuit, qua illo judice, secretio bilis mutatur. Loquitur nempe de specie, quae ex animi pathematibus originem dicit.

BONNET etiam nonnullas hypotheses enumerat et oppugnat; v. g. statuit, elementa sanguinis dissociari, et liquidum peculiare formari, quod inter laminas telae cellularis deponitur; porro statuit, icterum esse effectum circulationis cutaneae modificatae etc. Reliquas, quotunque dantur, de ictero sententias recensere longum foret et ab instituti nostri ratione alienum. Allatae igitur pro exemplo sufficient.

Ad hunc morbum rite cognoscendum etiam variae divisiones sunt admissae. Sunt qui icterum distinguant in

Icterum mechanicum  
et » spasmadicum;

sunt qui distribuant morbum in

Icterum idiopathicum  
et » sympatheticum;

sunt qui divisionem praeferant in

Icterum primarium  
et » secundarium;

sunt denique qui divisione utantur

in Icterum calidum  
» frigidum et

Icterum ex vitiis organicis.

Omnes species Icteri ad nullam horum divisionum referri possunt, nisi fortasse ad divisionem tertiam. Igitur divisio in :

I. Icterum ex causa dynamica

II. » » » mechanica

et III. Icterum ex vitiis organicis,

mihi magis placet; haec divisio, ut reliquae divisiones etiam nititur causis morbi. Divisio ter-

tia, in icterum primarium et secundarium minus recta mihi videtur, quia Icterus primarius stricte dictus non datur; icterus enim supponit affectionem praecedentem organi bilem secer-  
nentis et retinentis.

Ad I. pertinet Icterus, qui producitur

*a* irritatione et *b* torpore.

Ad II. Icterus, qui nascitur

*a* obstructione ductuum biliarium,

*b* compressione eorumdem, effluxu bilis im-  
pedito.

Ad III. omnes Icteri species, quibus ansam  
praebent vitia hepatis ejusque appendiculum or-  
ganica.

Inter omnes species icteri nullus exsistit,  
cujus origo nobis clarior est, quam Icterus cal-  
culosus (II. *a*), nam in hac specie concrementa  
biliaria ductus biliferos magis minusve occlu-  
dunt, atque effluxum bilis impediunt, et hac  
ratione bilis jam secreta vasis absorbentibus in  
sanguinem reducitur.

In Ictero calculoso exponendo ordinem se-  
quentem sequar, agam scilicet:

**1º. De Actiologia;**

**2º. de Diagnosi;**

**3º. de Prognosi, et**

**4º. de Cura.**

... et cetera. In genito, testis, foliis, et  
in aperturis, aliisque operis ductibus, ut in  
micturaria, vesica, aliisque tubulis, et in aliis  
vestibulis, aliisque, aliisque, spinae, et aliis  
exterioribus. Et sic ex hoc etiam in aliis  
organis, et in aliis, et in aliis, et in aliis.

### AETIOLOGIA.

Icterus calculosus igitur vocatur, uti in in-  
troductione diximus, ea species, quae producitur  
concrementis biliariis, quae vel in vesica fellea,  
vel in hepatis substantia, vel in ductibus bilia-  
riis inclusa sunt, et quibus bilis effluxus impe-  
ditur: hac ratione tunc bilis jam secreta in  
sanguinem reducitur vasis absorbentibus.

Calculi, qui quamvis non habendi causa pro-  
xima, ad propriorem referri merentur, quam  
maxime differunt quoad *locum* quem occupant,  
quoad *figuram*, *magnitudinem*, *numerum* et  
*structuram*.

Calculi reperti sunt in ipso hepate (RUYSEN);

in ductu hepatico (WALTER), et cystico (RUY SCH), et in his calculi saepe formam coralliorum exhibent; in ductu choledoco (ALBINUS), etiam in ostio hujus ductus, vel in vesicula fellea, vel in ventriculo (HARMENS), vel in ipsis intestinis (ZACUTUS LUSITANUS), tenuibus et crassis; in peritonaeo ex perforatione vesiculae felleae.

*Figura* calculorum etiam valde differt: sunt enim pentagoni aut pyramidales aut cubici, haud raro etiam sphaerici; interdum oblongi, ovales, ex forma rotunda magis angulosi fiunt; sunt et piriformes, pro forma vesicae felleae (RICHTER, DELIUS). Quidam formam habent partis posterioris patellae (RUY SCH); quidam sunt inaequales (ALBINUS) scabri aut tuberculis in superficie praediti instar mororum, aut extus semipellucidi, politi, scabri sunt etc. Raro aggregatio parvorum concrementorum reperitur, id quod saepius in systemate uropoiëtico occurrit. Animadvertis autem, calculos non in primitiva forma remanere, sed saepe mutari, ut ex diffractione patet.

Calculi variae *magnitudinis* reperiuntur, raro

magnitudinem ovi gallinacei attingunt, raro magnitudinem ovi columbini superant. MÉCKEL at-tamen calculum descripsit, qui magnitudinem habuit  $5\frac{1}{2}$  pollicum in longitudine, et  $4\frac{1}{2}$  pollicum in circumferentia sua maxima. Interdum tanquam granula occurunt.

*Numerus* calculorum est valde diversus, nunc pauci, nunc plures inveniuntur. Adsunt auctores (uti MORGAGNI) qui 3000 calculos in una vesicula fellea se invenisse dicant.

Quod attinet ad *structuram* calculorum, non nulli et quidem nigerrimi distingui a bile ex-siccata nequeunt, et fracti sibi invicem similes sunt et ejusdem naturae. Haec species semper est figurae irregularis.

Alii non tam frequenter occurrentes calculi magis sphaerici, extus rubri vel crocei, intus albi sunt. Strati sunt et radiati, magis rubi-cundi versus centrum. Laminæ crystallisatae splendorem habent asbesti, nunc radiatae ex centro, nunc radiatae paraleliter. Hi calculi tenuiores et fragiliores sunt quam aliae species.

Alii calculi extus flavi vel nigri, similes bili,

intus crystallisati, pellucidi, et splendentes, striati, interdum lamellati, fusciores versus centrum, fragiles, insipidi reperiuntur. Ex omnibus generibus hoc facilime liquescit calore, et simile est spermatozeti secundum BLUMENBACH.

Alii tamen saepissime occurrentes calculi extus nigri, interdum albidi, politi, intus lamellati, duri et tenaces, et istae lamellae ita se excipiunt, ut alia sit fuscior, alia albidior.

Alii splendentem habent nucleum, sed extus sunt fusco colore: plerumque fragiles sunt et insipidi. Secundum COLDWITZ nonnulli convenient cum cera fusca.

Nonnulli extus sunt arenosi, sed intus nucleus nigerrimus continetur.

Alii intus exhibent nucleum, alii non exhibent.

Ex analysi chemica patet, calculos biliarios magna pro parte constare e cholestearine, hi autem colorem album proprium habent, pellucidi sunt et crystallisati. Insolubiles sunt in aqua, solubiles in alchohole fervente, in oleo terebinthinae et aethere, et refrigeratione crystal lisantur in rhomboïdes splendentes, ardent flam-

ma clara, et cum alcalibus non mutantur in sapones. Nucleus, qui non solvitur, constat mucu bilis coagulato, et materie coloranti. (Secundum BRIGHT haec species calculorum invenitur in vesicula fellea apud eos qui scirrho hepatis laborant).

Calculi biliarii non satis accurate explorati sunt, et saepe principiis constituentibus nomina data sunt, quae ad alias substantias pertinent.

BERZELIUS affert exemplum analyseos:

	GLAUBE.	BRANDES.	
Bilis siccata	8	3.12	5.66
Cholestearine	56	81.25	69.76
Mat. col. bilis	15	9.38	11.38
Album. coag.	9		
Mucus bilis	12	6.25	13.20
	100	100	10.000

Verisimiliter materies albuminosa in calculis biliaris, alia materies est, v. g. substantia soluble cum alcalibus in aqua calida, et in refrigeratione gelatinosa.

In cholestearine atque in materie coloranti calculorum biliarium reperta sunt etiam phos-

phas et Carbonas Calcis. BAILLY et HENRY repererunt etiam Carbonatet Calcis, mucum aut albumen, oxydum ferri, atque materiem colorantem bilis.

ROKYTANSKY dubitat, num carbonas et phosphas calcis ex bile efficiantur, opinatur, eorum praesentiam magis adscribendam esse muco blennorrhöico et puri, quae in vesicula fellea inventiuntur. MARX etiam invenit oxydum Ferri.

POULETIER DE LA SALLE detexit materiem pingueum crystallisabilem.

CHEVREUIL primus hanc materiem tanquam cholestearinum descriptis.

FOURCROY eam vocavit adipocire.

LA SAUSSURE dixit eam constare ex 84.068 carbonii, 12.08 hydrogenii, et 3.914 oxygenii.

Quomodo calculi oriantur, parum hucusque notum est, et sententiae de hoc ortu valde inter se differunt.

Alii v. c. calculos oriri putabant *putredine*; haec vero suppositio valere nequit in omnia calciolorum genera, nam bilis putrida liquescit, neque facile se coagulari patitur; deinde, quam-

vis multi medici calculos repererint, nemo calculus vedit ex bile putrescente; denique interdum quantitas bilis enormis inest in vesica fellea, quoniam nulli calculi in ea reperiantur, quod a GOLDWITZ defectui acidi phosphorici attribuitur.

Alii falso calculorum ortum impissationi vel exsiccationi bilis adscripserunt; — magnum enim interest discriminem inter concrementa et partem sellis reliquam; — pondus residui specificum bilis multo majus est quam calculorum: plerumque scilicet calculi in superficie aquae natant, bilis ipsa vero fundum petit; — bilis exsiccata amarissima est, calculi vero insipidi, et utriusque odor in concrematione valde differt. Verumtamen nonnunquam fragmenta bilis exsiccatae in vesica felleae occurrunt, sed SOEMMERING arbitratitur haec solvi posse in bile diluta, quod cum calculis fieri nequit. Verisimile est, secundum anctorem eundem, ut bilis indurata nucleum formet in concrementis. Attamen DURANDE calculos observavit sine nucleo, in quibus totum concrementum una massa constabat, cuius partes legibus cohaesionis sibi invicem junctae erant.

SOEMMERING putat, concrementa pellucida non paullatim, sed interdum subito oriri, fortasse coagulatione bilis. FOURCROY hac de re opinatur, calculos crystallisatos tum formari, cum materies spermatis ceti simillima, quae partem humorum hepatis efficere videtur, tam copiosa adsit, ut soluta in bile remanere nequeat.

SOEMMERING argumenta sequentia ad confirmandam suam hypothesin adfert:

»quod comparatione concrementorum biliarium cum bile ipsa dubitari nequit, quin calculi originem ex ipsa bile ducant;

»quod coagulatio bilis ex vesicula fellea in cadavere recenti non solum acidis mineralibus dilutis, sed etiam succo limonum, cremore tartari, nitro, aceto vini, et — quamvis minore gradu — urina citissime impetratur. Color coaguli acido sulphurico diluto formati primum est flavus, deinde viridis. Bilis putrescens alio modo, et multo difficilius coagulatur;

»quod natura ejusmodi concrementi tantum parte bilis oleosa constat, quo coagulatio vel separatio elementorum bilis arguitur;

»quod figura talium concrementorum non tam regularis esse posset, si paullatim existent, quum vesicula fellea in corpore humano non immobilis sit;

»quod concrementa in una eademque vesicula fellea sibi invicem similia sunt;

»quod verisimile est, hanc coagulationem nasci ex vitio aliquo in membranis vesicae felleae.”

De formatione igitur calculorum biliarium statuendum est, quod partes constituentes bilis crystallisabiles augmentur, atque praesertim quidem cholestearine.

Ad calculorum genesin praedispositi sunt melancholici, phlegmatici, eruditi, tristes, captivi. Aetas media, vita sedentaria, atque quies corporis diurna origini calculorum favent.

FR. HOFFMANN, VAN SWIETEN, coë et HALLER, ad causas concrementorum biliarium praeter vitam quietam, sedentariam, referunt somnum protractum, et sessionem cum corpore curvato statim post cibum sumtum.

CRUVEILHIER aetatem provectionem, tanquam

causam habet, quia tunc cholestearine majori copia in bile invenitur, et igitur citius in coagulationem transit.

**GUERSENT** et **JADELOR** nunquam in natu minoribus calculos invenerunt.

Secundum **BAGLIVIUM**, **MORTON**, **BOERHAAVE**, **GOLDWITZ** arthritis tanquam causa praedisponens est habenda, quae sententia non est improbanda, quia arthritis necessitudine causali, quam vocant, cohaeret cum calculis biliaris; etenim hic morbis exsistit iisdem causis occasionalibus. Calculi biliarii praeterea in multis regionibus Septentrionalibus et humidis, ut in Britannia, Hannovia, cet, epidemici reputantur, id quod similitudinem horum affectuum probat.

Saepius calculi occurrunt in sexu feminino quam in virili; secundum **HOFFMANN**, **HALLER** et **SOEMMERING** praesertim apud mulieres inveniuntur in annis climactericis; et **HEYFELDER** observavit quadraginta aegrotantes calculis, quorum tantum quinque viri erant.

Causae occasionales formationis calculorum multae atque variae sunt. Huc pertinet abusus

ciborum pinguium et animalium, etiam cerevisiae acidae etc.

Antiquiores jam ad ingesta attentionem fecerunt:

GAUBIUS e. g. enumerat alimenta acida, acerba, austera, crassa, cruda, viscida, farinacea, sicca, terrestria, cerevisia recenter cocta etc. HALLER tamen cerevisiam acidam ut causam rejicit, cum in iis regionibus quae vino abundant, calculi quidem saepius occurrant, sed et feminae quae nihil praeter aquam bibunt, eodem morbo laborent.

DIETRICH admittit vitia primarum viarum, torporem v. c. canalis intestinalis, et praesertim acidum in eo ortum; hoc enim acido bilis coagulari dicitur. MACLURG imprimis arbitratur, acidum ex ventriculo in duodenum transiens, in ductu choledochi cum bile conjungi, et ibi coagulari.

MORGAGNI, HALLER et DIETRICH etiam opinantur, acidum vere partem efficere concrementorum. Quaeritur tamen, cur in infantibus, qui saepissime acore primarum viarum laborant, talia coagula non fiant?

Alii accusant abusum medicamentorum terrorum, sed ALBERTY et BREY contendunt, his medicamentis quidem calculos in ventriculo, nec vero in vesicula fellea, formari posse.

HOFFMANN ratus est, quod venae sectio neglecta in sanguineis causa fieri possit formationis calculi.

Alii statuunt metastasin materiei cuiusdam morbosae in vesicam felleam.

Huc pertinent etiam animi affectus, nam negari nequit tales affectus actionem nocivam habere in secretionem bilis, et magnam proclivitatem ad decompositiones chemicas in hoc humore efficere.

Abusus spirituorum secundum HOFFMANN et DURANDE favent etiam concrementorum biliarium genesi. Negat vero GOLDWITZ.

Difficile sane est singulas causas, quae calculis biliaribus ansam praebere possunt, indicare, nam observationes singulares citare, quibus vis harum causarum in calculis producendis pateret, ardua res foret. Hoc interim certum videtur, omnia ea, quae plethoram venosam abdomina-

lem vel producere vel sustentare, et hepatis  
functionem turbare valeant, tanquam causas  
calculatorum biliarium remotas considerari de-  
bere.

## D I A G N O S I S.

---

Diagnosis icteri calculosi quam maxime difficultis esse potest, et *primo* quidem quoniam icterus ex multis aliis causis originem ducere potest, in quibus symptomata magis minusve convenient cum symptomatibus icteri calculosi, nam in ictero calculoso symptomata pathognomonica fere non dantur: *secundo*, quandoquidem et icterus et reliqua symptomata excitata calculorum praesentia, confundi possunt cum affectionibus aliorum viscerum abdominalium, quae fere iisdem symptomatibus stipantur; et *tertio*, quia saepe in cadaveribus reperiuntur calculi, qui durante vita pauca, aut nulla symptomata produxerant.

Ratio hujus rei quaerenda est in loco, ubi calculus haeret, quod etiam de SAUVAGES opinatur, nam dicit: quod dolor et icterus, quae tanquam symptomata manifesta calculorum consideranda sunt, non oriuntur, quando calculi natura non removentur ex vesicula fellea in ductum choledochum.

ANDRAL hanc sententiam etiam probat, dicit nempe, calculos biliarios tantum symptomata graviora efficere, quando in ductus biliferos penetrant, irritationem ibi excitant, atque inflammationem.

Ad diagnosin icteri ex calculis biliariis faciliorem reddendam, ante omnia breviter enumeranda sunt symptomata reliquarum icteri specierum, et deinde recensenda sunt symptomata, ex quibus non tam certa, quam probabilis diagnosis icteri calculosi peti potest, et quae hanc speciem distinguunt a reliquis icteri speciebus in divisione nostra commémoratis.

Icterus in genere dignoscitur colore cutis oculorumque mutato, et quidem flavo aut e flavo viridescente, urina crassa, turbida, crocea, vel

profundius etiam colorata, faecibus albis, ci-  
nereis, argillaceis, cute sicca, aspera, pruri-  
ente; anorexia, dyspepsia.

I. *Icterus ex causa dynamica*, vel ex irri-  
tatione vel ex torpore originem dicit.

a. *Icterus ex irritatione* denotatur flavo  
cutis oculorumque adnatae colore, epi-  
gastrii dextrique hypochondrii tensione et  
dolore quodam, cute ardente, pulsu subinde  
febrili, alvo vel stricta vel liquida flava.  
Ad hanc speciem pertinent:

α. Icterus a polycholia, quem per ex-  
cellentiam calidum dicunt;

β. Icterus spasticus;

γ. » Neonatorum;

δ. Denique ieterus quae ex cutis per-  
spiratione impedita, vel ex sup-  
pressione profluvii enjuscunque, vel  
ex metastasi, ex sordibus etc. ori-  
ginem dicit.

b. *Icterus e torpore sive frigidus* lente  
oritur, lassitudine, segnitie, animi tristi-  
tia, anorexia, ponderis sensu in epigastro,

tardaque digestione diu praenunciatus, tarde decurrit et dignoscitur ex habitu cachectico, colore fusco, profunde viridi, vel etiam nigrescente, absente vel irritationis, vel organici vitii indicio.

II. *Icterus ex causa mechanica* vocatur ea species, quae nascitur, aut obstructione aut compressione ductuum biliarium, indeque impedito bilis effluxu. Ad hanc speciem pertinent:

- 1º. Icterus calculosus;
- 2º. » verme productus in ductibus biliaris latente;
- 3º. Icterus ex incrassata bile vias biliferas opplente;
- 4º. Icterus a compressione ductuum bilis excretiorum per tumores et indurations qualescumque partium vicinarum.

III. *Icterus ex causis organicis.* Dignoscitur pondere, duritie, nec raro tumore etiam hypochondrii perpetuo, respirationis difficultate, dyspepsia, profundo, ut in frigida morbi specie, cutis colore, longaque duratione. Huc referri debent:

1<sup>o</sup>. Icterus ex vitiis organicis in ductibus biliaris haerentibus;

2<sup>o</sup>. Icterus ex vitiis organicis in parenchymate hepatis degentibus (1).

Videamus nunc de prima specie, de ictero calculoso. Ad diagnosin hujus morbi clariorem reddendam, primo loco symptomata enumerabimus praesentiam calculorum denotantia. Haec sunt:

Dolor sub processu xyphoideo, in hypochondrio dextro. Nonnulli dicunt hunc dolorem semper adesse, et statuunt a ligamento hepatico derivari.

CL. STARCK observavit in omnibus aegris, calculo laborantibus, qui auxilium suum implorabant, regionem epigastricam tumidam esse et tympaniticam, quae symptomata autem iterum evanescere solent, quando concrementa excernuntur.

Dolor nascitur in genere post pastum, inter-

(1) Sub nomine viti organici hic intelligo et hypertrophiam, et atrophiam, et paratrophiam.

dum circumscriptus, plerumque autem dispersus in abdomine percipitur. Dolor saepe locum mutat, quod verisimiliter calculis locum mutantibus adscribendum est; nunc convenit cum dolore calculis urinariis excitato, qui descendunt in ureteres, sine difficultatibus attamen in urina excernenda, nunc aegri dolorem comparant cum dolore, animali vivo in ventriculo producto.

Secundum DURANDE interdum brachium dextrum, aut nates dolent.

Maximi ad diagnosin momenti haberi mereatur, insultus doloris sine febre incipere, et pulsus normalem et regularem manere.

Interdum calculis etiam varia vitia digestionis producuntur, uti sec. DIETRICH, dolor transitarius in ventriculo, secundum DURANDE, ructus acidi, nausea, vomitus etc.

Alvus aut obstipata aut laevis est.

Plerumque excreta albi coloris sunt. Interdum urina crocea est, interdum etiam stranguria vel ischuria observatur (DURANDE).

Interdum secundum PETIT susurrus frictionis

stethoscopio auditur in macilentis. In macilenta sub margine hepatis sentiri potest intumescencia piriformis. Cum symptomatibus localibus saepe junguntur symptomata sympathica: aegri queruntur de dolore in columna vertebrali, nisus ad vomitum adest, cibos et potus ferre nequeunt, non raro syncope, sudor frigidus, pulsus parvus, respiratio difficultis, singultus et convulsiones sequuntur. Porro congestio ad caput, vertigo, scintillae ante oculos, haemorrhagia narium, tristitia, melancholia, mania, suppressio mensuum, motus febriles, et interdum febris intermittens.

Ex conspectu diversarum spicierum icteri patet, icterum calculosum satis facile dignosci posse a reliquis speciebus, et ex iis sequi debere videretur, non difficile esse dictu, utrum calculi pro icteri causa habendi sint, an ex alia causa oriatur. Notandum autem, quod icterum, ex alia causa originem ducentem, interdum comitantur praesentia calculorum, atque in hoc casu calculi dignosci nequeunt, etiam 2<sup>o</sup>. multos alias affectus morbosos viscerum abdominalium

adesse posse, qui symptomata calculorum simulant. Huc pertinent.

*Hepatitis*, membranacea potissimum, *Duodenitis* et *Peritonitis*. In his morbis etiam dolores vehementissimi, obstructiones, vomitus, cet. occurunt. Proprium autem ictero calculoso est, quod doloris paroxysmi adsunt, quodque abdomen non dolet sub pressione in tempore libero, dum in inflammationibus dictis dolor perpetuum est, et pressione semper augetur. Praeterea in ictero calculoso abdomen nec calidum, nec tensum est, uti in inflammationibus, et aegri tantum vomitu laborant, durantibus insultibus dolorificis. Excreta in ictero calculoso sine colore, grisea, argillacea, non liquida occurunt, et nullo modo convenient cum excretis in inflammationibus quas enumeravimus. In *Hepatitide* insuper hepar saepe prae grande, quod in ictero calculoso nunquam observatur, durante insultu sudor erumpit interdum, dum in inflammationibus febris, et cutis sicca nunquam desunt. Denique sanitas interdum subito sequitur excretionem calculorum, et dolores immediate evanes-

cunt, dum anamnesis etiam suam partem conferre potest ad diagnosin icteri calculosi certiorum reddendam.

2º. Icterus calculosus confundi potest cum ictero originem ducente ex cirrhosi hepatis, sed in hac specie dolor deëst, hepar sese magis minusve contrahit, et saepe hanc conditionem comitatur hydrops ascites, et oedema artuum. Non raro etiam cirrhosis complicatur cum vitiis organicis cordis, atque cum morbo Brightii: hic ejus sequela saepe, illa vero causa.

3º. Cum *Neuralgia Hepatica, Cardialgia, Colica tum alia, tum saturnina, et Nephralgia.*

Ab omnibus his affectibus praesentia calculorum biliarium dignoscitur loco dolenti: dolor enim in ictero calculoso sese extendit in genere a vesicula fellea superiora versus; porro videmus hic icterum, excreta decolora, interdum etiam intumescentiam vesiculae felleae etc. Dignoscitur insuper a *nephralgia* co, quod haec dolorem characteristicum habet, sese ad testem extenden-tem, dum testis attrahitur lateris affecti, et in

femore stupor percipitur; insuper in colica renum, sic vocant nephralgiam, ut desunt symptoma icterica, ita adsunt non raro vitia in excretione urinae, quae in ictero calculoso non observantur.

Ex omnibus autem symptomatibus, quae icterum calculosum ab aliis morbis commemoratis distinguunt, sola excretio concrementorum tanquam symptoma pathognomonicum haberi metetur.

## PROGNOSIS.

Prognosis in ictero pendet e causis. In ictero a causa dynamica in genere non infausta; infausta vero in ictero a causa organica. In ictero a causa mechanica differt, prouti causa illa tolli et in posterum praeverti possit, an secus. Icterus calculosus, vel potius causa, quae ipsi subest, difficulter sanatur. In hac specie igitur prognosis non fausta. Quod praesentiam attinet calculorum biliariorum, prognosis non semper infausta est dicenda, nam e sectione cadaverum, ubi calculi reperti sunt, qui durante vita nulla symptomata graviora produxerant, patet, calculos biliarios adesse posse sine noxis manifestis; sed

quando calculi formati, tanquam corpora peregrina agunt, in locis ubi haerent, v. g. in tubulis biliferis, vesica fellea, et ductibus excretoriis, aut uti interdum inventum est, in intestinis, atque ibi irritando influxum nocivum habent, tunc prognosis infesta redditur, quia producta saepe periculum et ipsam mortem afferre possunt, orta inflammatione, ex qua ulceratio vesicae felleae, ruptura ductuum excretorum, atque effusiones bilis et puris in peritonaei cavaum nasci possunt. Attamen qnamvis negari nequeat, calculis biliaris symptomata periculosa uti supra dicta provocari posse, tamen exitus faustior etiam esse potest, nam multae observations dantur, in quibus natura una aut altera via calculos excrevit, sine symptomatibus nocivis, quod J. C. DE RUEFF observavit, qui narrat se calculum ingentem et gravem expediri vidisse in excretis; etiam W. LIEBERGEN loquitur de sanatione abscessus hepatis, ubi calculus magnitudinis ovi columbini excerneretur, per aperturam fistulosam, atque etiam aliae observations ad sunt, ubi calculi aut per anum, aut per vomi-

tum, aut abscessu facto per parietem abdominis excernerentur; calculi nempe in vesica fellea efficiunt inflammationem, cohaesionem vesiculae felleae cum peritonaeo, atque formatione abscessus fistulam formant, per quam aut calculi sponte excernuntur, aut artis ope removeri possunt sine periculo. Interdum illa cohaesio etiam nascitur inter vesiculam felleam atque duodenum, quam suppuratio et perforatio duodi sequuntur; per quam aperturam calculi ingentes excerni possunt ano. Non raro in hac conditione sanatio secuta est, sed plerumque aeger moritur postea febre hectica, atque exhaustione. Si animadversiones insuper nonnullorum scriptorum, v. g. DURANDEI, fide digna sunt, qui narrant non tantum formationem calculorum impediri, sed enim calculos solvi posse specificis, concludendum est, icterum calculos, ejusque causam sanari et exitum adeo faustum habere posse, quando calculi vel excreti sunt, vel in corpore soluti.

Conditiones morbosae secundariae, quae secundum nonnullos, calculis provocantur, quam-

quam crediderim, hic minus saepe calculos ipsos, quam quidem conditiones morbosas hepatis simul existentes accusandas esse, prognosin infaustissimam reddunt; nam secundum HOMÈRUM interdum sequitur asthma, secundum VAN SWIETEN hydrops ascites et anasarca, secundum MARTEAU tympanitis. Alii loquuntur de congestiōibus in recto intestino, de haemorrhoidibus et tenesmis. Secundum HILDEBRANDT interdum nascitur inflammatio et ulceratio vesicae felleae, et ductuum biliferorum, aut partium vicinarum, etiam interdum phthisis, et ita porro. Interdum aegri subito insultu corripiuntur, praesertim ubi natura calculos excernere conatur, tunc nascitur anxietas magna, tensio in regione pylori, nausea, vomitus, motus interdum febriles etc.; et quamvis hic insultus aegro salutaris esse possit excretionē calculorum, etiam fatalis esse, et mortem afferre potest vehementia symptomatum, vires extingueute.

Videtur igitur ieterus calculosus omnino aliquam spem sanationis praebere, quae per excretionem calculorum fieri possit, sine influ-

xu nocivo, sed prognosis in omni casu dubia manet.

Magni momenti etiam est conditio aegri ipsius, qui morbo corripitur. In corporibus sensilibus atque delicatis oriri possunt paralyses, e doloribus atque vomitu, aliisque irritationis symptomatibus. Exstant exempla, ubi dolores subito evanescebant post vomitum, pulsus filiformis reddebat, artus frigidi, facies collabebatur, atque brevi moriebantur aegri. In corporibus robustis haec quidem non metuenda, sed in his irritationis nervorum transire potest in irritationem vasorum, et ita inflammationes effici possunt, quae interdum exitus infaustos habere possunt. Interdum etiam subito vesicula fellea rumpitur, aut ductus biliferi perforantur, nullis symptomatibus praegressis tale quid praenunciantibus, cum eventu lethali, effusione bilis nempe in cavum abdominale.

In aliis aegris, in quibus haec symptomata periculosa non orta sunt, marasmus oriri potest, e mixtione sanguinis morbosa, indeque vitiata nutritione.

## C U R A.

In euratione icteri calculosi gravissimaeque, qua comitatur, sive irritationis sive inflammationis, haec tria requiruntur: 1º. spasmus et dolores imminuendi sunt; 2º. inflammatio, si orta fuerit, oppugnanda est; 3º. calculi biliarii vel solvendi vel removendi sunt, novaque calclorum genesis praecaveri debet.

Antiquiores jam hanc methodum aut magna pro parte aut totam sunt secuti, quamquam maxime differunt inter se medicamentorum delectu. Ut primae indicationi satisfacerent, imprimis utebantur opiatibus; BELL V. g. praescripsit opium 2—3 grana o. h. aut o. bih., lanas hu-

midas ex laudano liquido Sydenhami posuit in regione epigastrica, et si opium vomitu iterum ejiceretur, elysmata 2—3 drachmarum laudani, atque balnea calida; si haec frusta adhibuisset, cucurbitas cruentas in regione ventriculi applicuit, et ad calculum removendum primum emetica et postea purgantia.

PEMBERTON eandem methodum secutus est, praescripsit etiam opium (aliquot grana), aut laudani liquidi xxiv guttulas pro dosi, donec dolores evanuissent.

HUFELAND ad dolores tollendos praescripsit aquam lauro-cerasi cum tinct. thebaica; si inflammatio nata esset, venae sectiones; ad resolutionem calculi salia commendavit media, imprimis sodae praeparata, thermas Carolinas, pilulas de sapone cum extractis amaris, et tunc purgantia, aut medicamentum DURANDEI.

BRICHETEAUD commendat praesertim parvam dosin tinet. castorei, atque glaciem in regione epigastrica, interdum etiam glaciem praescripsit in pilulis ad usum internum.

POWEL venae sectiones ad animi deliquium

usqne fecit, et dolores sedare conatus est per cataplasma narcotica in abdomine, atque per clysmata antispasmodica.

CRAIGIE commendat clysmata ex herba nictiana.

FRANK venae sectiones, hirudines in regione hepatis, clysmata emollientia, et aetherem cum opiatis ad usum internum.

MERAT clysmata frigida.

RICHTER curationem divisit, in curam palliativam et radicalem: in cura palliativa, dolores vehementes et affectionem spasmodicam imminuere conatur, per oleosa cum syrupo diacodii, per emulsionem amygdalarum aut cap. pap. albi, decoct. seminis lini, et parvam dosin ipecacuanhae  $\frac{1}{4}$  gr. v. g. o.  $\frac{1}{4}$  h., cum cataplasmatibus antispasmodicis et infractionibus in abdomine; in obstructionibus pertinacibus clysmata, atque balneum tepidum commendat. Ad curam radicalem secundum eum nulla medicamenta dantur.

STOKES commendat balnea calida, et emetica tantum in prima morbi periodo.

PETIT proposuit calculum removere, operatione

chirurgica, nempe incisione in vesica fellea, ex qua calculus extrahi posset, et quamquam haec methodus in genere certe rejicienda sit, necessaria tamen esse potest, quando concretio et formatio abscessus locum habet, inter vesiculam felleam et abdominis parietes.

VAN HALL dicit, bono cum eventu electricitatem se adhibuisse.

Ad calculum solvendum et removendum, atque ad novam calculorum formationem impedierendam, medici supra dicti, et alii, variis medicamentis usi sunt; ex salium ordine adhibuerunt sal ammoniac, sodam solutam, aquam calcis, saponem, tinct. ant. tartarisatam, liq. terra fol. tartari cunspir. nitri dulcis, acetatem potassae, tartrat. potassae, calomel (hoc imprimis GIBBONS commendat), atque aquas minerales solventes, Carolinas, Töplitzensem, Kissingensem etc.

Ex regno plantarum bono cum eventu prescribuntur, succus recens expressus *aut Extratum* saponariae, taraxaci, cichorei, graminis et fumariae; fructus maturi, decoct taraxaci, graminis, saponariae etc. Ex regno animali, lac

asininum, serum lactis dilutum, ova recentia in  
atqua frigida soluta, tempore matutino vitellum  
ovi aqua solutum et liquore anodyno minerali  
HOFFMANNI mixtum.

Ex his a RICHELMO acid. nitricum, a WHYTT et  
CONRADI aqua calcis, ab HALL electricitas, a CA-  
RENDEFFEZ acid. oxalicum et phosphoricum tan-  
quam specifica, commendata sunt.

Nullum autem medicamentum ad calculum  
solvendum, tanta laude celebratum est, quanta  
medicamentum DURANDEI, constans ex 3 partibus  
aetheris sulphurici, et 2 olei terebinthinae. An-  
tequam autem DURANDE hoc medicamentum in  
aegris adhibuerit, praescripsit iis per 6 aut 8  
hebdomades medicamenta demulcentia, resolven-  
tia et aperientia, et tunc quotidian matutino tem-  
pore scrupulo aut drachma integra uti debebant  
hujus remedii, cum sero lactis aut jusculo tan-  
quam potu. Perrexit cum medicamento, suo do-  
nec libra integra adsumta esset, et curationi  
finem imposuit administrandis purgantibus mi-  
tioribus, quibus calculi exernebantur tanquam  
massa picea et flava. Propter effectum optimum,

hoc medicamentum multis probatum est, quamvis difficile sit explicatu, quomodo hoc medicamentum agat. Effectus bonos confirmaverunt STRAK, SOEMMERING, ODIËR, PORTAL, et praesertim KOPLAND, quorum ultimus dicit, nunquam se vidisse symptomata exacerbari, post usum hujus medicamenti. Bono etiam cum eventu hoc medicamento usus est cl. BLEULAND in muliere e pago Zwammerdam, quae calculis biliaris laborans, post assumptionem magni numeri medicamentorum, ejus auxilium imploraverat (ni fallor anno 1815). Adhibuit Vir cl. in hac aegra medicamentum DURANDEI, quo illa sanitatem recuperavit, ita ut etiam hodie optima valetudine fruatur. Propter actionem excitantem autem hujus medicamenti, multi aegri id ferre nequeunt.

Nonnulli medici medicamento DURANDEI tantum vim antispasmodicam, et non resolventem adscribunt. Huc pertinent imprimis TROUSSEAU et PINDOUX, quorum opinio de hoc medicamento hucredit: dicunt scilicet: se nec observationes earumque accurrationem, nec diagnosin alio-

rum, nec bonos effectus hujus medicamenti in aegris, calculis laborantibus, oppugnare; dubitare vero de una proprietate hujus medicamenti, nempe de proprietate solvente, quam DURANDE tantis encomiis celebravit. Quam maxime difficile est, ita fere pergunt, hanc proprietatem demonstrare, nam ad hanc demonstrationem nexus rerum requireretur, qui raro occurrit: in regione vesiculae felleae nempe tumor tunc adesse deberet, in quo accurate indurationem lapideam observare possemus, et tunc sub administratione medicamenti DURANDE hic tumor evanescere deberet, absque vestigiis concrementorum in excretis; quamdiu hoc non liquet, dubitandum est. Quamvis infitiari ne queamus, jure suo dubitare hos medicos, tamen effectus optimos hujus medicamenti permulti medici laudaverunt, ipsi TROUSSEAU et PIDOUX vim antispasmodicam egregiam laudant in colica biliosa. DURANDE igitur laude dignus est, qui primus in aegris, calculis laborantibus, hoc medicamentum adhibuit. Ceterum de omnibus medicamentis laudata ad formationem calculorum

prohibendam, verum est, rationem agendi plane incognitam esse.

Praemissa relatione de medendi methodo, a variis auctoribus in ictero calculoso adhibitâ, superest, ut brevi curam exponamus, quae secundum nostram sententiam in morbo illo adhiberi debet. In insultibus dolorificis nimirum, huic morbo propriis, si cadat in hominem robustum, praesertim si jam per plures horas duraverint, venam secundam esse crediderim, eo scilicet consilio, ut inflammatio vel prævertatur, vel tollatur, et spasmus solvatur. In aegro debiliiori hirudines apponere aut, si recens ortus esset paroxysmus, administrarem tantum antispasmodica, cataplasma de herba hyosc. nigr., de cap. pap. albi, similibus, et interne pro re nata vel opium, vel alia medicamenta inordinatam nervorum actionem componere valentia, dosi ad constitutionem aegrotantis, et vehementiam symptomatum accommodata.

Extra paroxysmos incipiendum esse crediderim ab usu resolventium, taraxaci, cichorei, saponis

medicati, salium mediorum, similium diu continuato, non neglecto corporis motu, et diaeta curae therapeuticae respondente. Quibus non juvantibus, nisi obsit nimia aegrotantis, primarum praesertim viarum sensilitas, remedium **DURANDEUM** exhibendum esse censeo.

probabiliter malis, moribet in aliis, quibus  
necessitatem etiam erigunt obsequio non volunt  
volent. Quod est huiusmodi etiamque omnes  
striae qui in organo animali videntur, emittunt  
concretae, sanguineum, amarum, amarumq; muri  
quidam, coagulantes, utrūque alioquin  
lumen debet.

### THESES.

Ista membra proprietas, sed etiam inservient  
concretae, posse sunt et per plures loca  
diffundere, utrumque per se esse crediderim.

#### I.

Diagnosis calculorum biliarium semper incerta, nisi cal-  
culi excernantur.

#### II.

De origine calculorum biliarium pauca constant.

#### III.

Temperamentum phlegmaticum disponit ad formationem  
calculorum biliarium.

#### IV.

Medicamentum DURANDEI quam maxime prodesse in  
ictero calculoso, negari nequit.

#### V.

Actio saliva in digestione chemica ratione explicari nequit.

VI.

Sine nervorum actione, nulla inflammatio aut suppuratio.

VII.

Signa physica maximi momenti sunt in diagnosi morborum pectoris.

VIII.

Pulsus per se signum fallax.

IX.

Phthisis tuberculosa ars sanare nequit, retardare saepe potest.

X.

In cachexiis caute mercandum est cum sanguinis detractionibus.

XI.

Albuminuria, qua talis, non vetat quidem diureticorum administrationem, at magnam tamen requirit in usu horum medicaminum circumspectionem.

XII.

Camphora in febre nervosa erythra tum demum convenit, ubi delirii vehementia ex irritatione organorum generationi inservientium pendere videtur.

XIII.

Divisio syphilidis in primariam, secundariam et tertiariam est rejicienda.

XIV.

Diagnosis tumorum incerta.

XV.

Actio muscularum abdominalium et diaphragmatis non absolute requiritur ad partum solvendum.

XVI.

In metrorrhagis, quae a causis dynamicis partum sequuntur, manum in uterum inducere, longe praestat stpticorum administrationi.